

31. - 771-2. Papa Stefano III (IV) ordina ai vescovi Istriani di tornare all'obbedienza dell'arcivescovo gradense.

FONTI: Arch. Stato, Venezia, codice Trevisaneo, c. 11, n. 9; cod. mare. lat. XIV, 74, c. 278; 77, c. 145.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.* III, 714.

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis per universam provinciam Istriam constitutis.

Quisquis sacerdotali praeditus non dicam honore, sed onere, existunt, necesse est, ut canonica sanctorum patrum traditione tantum se observandum tota mentis integritate exhibeat, quantum nimurum constat transgressoribus dignae ultionis et in hac vita de propriis reatus excessibus vindictam inferri et venturo in seculo ante tribunal Dei condemnationis atque cruciatus poenam irrogari. Unde necesse est omnibus huic sacro deditis officio in huiuscemodi canonicae sanctionis norma diutissime permanere et nulla penitus ratione a recto itineris tramite quibuslibet secularibus persuasos fribolis presidiis deviare presumat, ne tanti ponderis sibi regimen confertum detrimentum potius quam lucri stipendia pariat. Itaque pervenit ad nos, nuncio precurrente, quod vos omnes episcopi ipsius Istriae provinciae constituti, qui canonica traditione a priscis temporibus sub iuris districione ac consecratione sanctae Gradensis ecclesiae archiepiscopatus esse videmini, nunc, quod cum magno cordis dolore dicimus, secularibus convolantes auxiliis ab eadem episcopatus sede, protervo spiritu inflati, recedere presumpsistis et inter vos, quod numquam auditum est, unus alterutrum vosmet ipsis consecratis. Unde commissa nos pastoralis cura compulit apostolicae correptionis apicibus vos argui, ut talis prava et inaudita temeritas canonicae correptionis framea abscidatur. Quam ob rem ecce auctoritate domini nostri beati Petri apostolorum principis, cuius, licet immeriti, Deo tamen dignante, vices gerimus, magnis per huius nostrae relationis seriem interdicimus sub anathematis interpositionibus vobis omnibus contu-